TRIUMPHUS
SUMMI REGIS DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI
GLORIOSISSIMUS,

AD AMPLISSIMUM SENATUM
DRESDENSEM,
SCRIPTUS

A
M. JOHAN. BOHEMO
PÖET. CÆSAR. LYCEI
IBIDEM RECTORE.

DRESDAE,
TYPIS ELECTORALIBUS.
ANNO
CIↃ IↃC XXXXIIII.



VIRIS

Amplissimis, Consultissimis, præeminenti Dignitate, Sapientiâ, Consiliis, judicio, usuq; rerum Prudentissimis ac integerrimis,

Dn. JOHANNI WERNERO,
Dn. VITO Heyman/
Dn. ELIÆ Jentsch/
Dn. SEBASTIAN Kohl/
Dn. GEORGIO Gumprecht/
Dn. ABRAHAM Schwedlern/
Dn. SIMONI Frobergern/
Dn. ZACHARIÆ Wagnern/
Dn. JOHANNI Ficklern/
Dn. VALENTINO Schäffern/
Dn. CHRISTIANO Schuman/
Dn. GEORGIO Marche/
Dn. SALOMONI Voigt
Dn. CHRISTIANO Hertzog/
Dn. CHRISTIANO Brehmen/
Dn. MICHAEL Müllern/
Dn. PAUL Zincken/
Dn. GEORGIO BORNERO Syndico,
Dn. TOBIÆ Spingern/

Dnn. Coss. Cæterisq; inclutæ Reipubl. Dresdensis Senatoribus Gravissimis,

Dominis Patronis ac Promotoribus suis singulari observantiæ cultu æternum suspiciendis,

Salutem ac felicitatem precatur perpetuam!

Magi-

M*Agistratus*, P*ATRES* C*ONSCRIPTI*, *Ecclesiæ NUTRITIOS esse*, Esaiâ *discimus Præceptore*, Cap. 49. ℣. 23. *Hoc nutricante officio, qvàm improbo labore vos, contra omnes seculi insultus, perfungamini, qvantavè fide juxta ac diligentiâ Ecclesiam, nostrumq; Athenæum, foveatis inter cætera, vel inde cuivis cognoscere promptū est, dum auspiciis* everendi admodum, Magnifici ac Excellentissimi Dn. ÆGI-II STRAUCHII, SS. Theol. Doct. celeberrimi, Protosy-drlj Ecclesiastici Adsessoris, & Superintendentis Ephoriæ esdensis meritissimi, viri consummatissimâ Eruditione ctissimis qvibusq; admirabilis &c & Amplissimi ac Pruden-imi Dn. JOHANNIS WERNERI, Reipubl. Electoralis esdensis Laudatissimæ Consulis Gravissimi, *qvem qvoties conspi- toties Romanæ Curiæ, orbis terrarum concilij, Senatorem aliqvem, Sulpitium, um, aut alium qvempiam horum similem, videre mihi videor, &c. ir. Templo ucis* Novum ORGANUM, *uti vocant, magnificis omnino sumptibus, gloriæ di- sanctius promovendæ exstruxistis: non curantes præmatura zoili, temporum, ermis conjuratis in virtutes itur, difficultatem obtentui sumentis, judicia, qvum mortalium scenâ ita comparatum, ut & benè svadendi & faciendi sæpenu- periculosa sit libertas. Darius* apud Curtium *Charidemum maximè uti- edentem ad capitale abstrahi jussit supplicium, qvi tamen sed serâ ductus pæ- ne, ac verâ dixisse confessus, eum sepelirì jussit. Sed hoc factum vestrum simum, & seqventis ævi memoria venerabitur, & ego impio silentio in præ- citum relinqvere religioni duxi, ne, qvod* Tacitus, *Autor gravissimus, Ro- exprobrat,* vetera extollamus, recentium incuriosi. *Pulchrum nprimis videtur, non pati occidere, qvibus æternitas debetur. Qvapropter* OVUM HOC ORGANUM *in Festivitate Paschali ad finem jam decurrente, DEO benè adminiculante,* INAUGURATUR *qvasi, &* JUBILA, glori-mumq; Redemptoris nostri JESU CHRISTI TRIUM- *(ab eo enim auspicatò incipit) decantat; simulqvè* ELECTIO SENATORIA

 Anni-

Anniversaria in hoc incidit tempus, eundem verbis & versibus virgilianis contextum V. AMPLITUDINIBUS ac DIGNITATIBUS offero, & mea JUBILA succinendo, publicâ voce ac in ore omnium hanc officiosam, qvam Vobis propriam fecistis, PIETATEM, celebrare, ad posteritatem, si qva futura, intemeratam transmittere, adeoq; mea Vota, qvæ pro salute, incolumitate & vestrâ felicitate, noctes diesq; excubant ardentissima, ad Supremi Numinis favorem ablegare gestio. Non qvod Pietatem vestram, & ÆTERNITATIS hoc monumentum, *debito laudum præconio mea tenuitas satis extollere, dignumq; videri officium possit, qvod publicas has vestras CURAS exæqvet; sed partim ut meam debiti cultus observantiam, qvâ vos religiose veneror, probare saltem aliqvâ ac declarare vobis contendam: partim ut de Virtutibus vestris, meritis ac munificentiâ, qvâ Artes liberales, inter qvas Musica vel principem sibi vendicare locum videtur, ornatis benigniter, etiam apud Exteros constet. Propriam nempe MAGNORUM Virtutem, Liberalitatem, sic colitis, ut pecuniam infra omnia habeatis. Maronis verò majestas nobis vel ideò verba suppeditat, qvia ut* Alexander, *cui gestorum magnitudo* Magni *cognomen fecit, à nullo nisi optimo pictore pingi volebat sic decuit optimi* Salvatoris Triumphum, *ab optimo Poëtâ describi.*

Æqvum erat, ut CHRISTUM *celebraret Musa Maronis,*
Iste fuit vatum maximus, ille DEÛM.

Accipite TRIUMPHUM hunc favore vestro ÆTERNITATIS CANDIDATI. Vestrum sumptuosum maximè ac nobile OPUS ORGANICUM ære perennius, regaliq; situ Pyramidum pretiosius, qvod innumerabilis annorum series, & fuga temporum non diruet, NOMEN omninò peperit vobis IMMORTALE. Qvod & ex Majorum gentium doctorumq; coronâ qvispiam surgens, suis laudibus magnificabit, seris traditum ejus seclis. Unum duntaxat in præsentiarum ego pronuncio: scilicet, Vos, Viri Magni, *cultiorum literarum,* unde Decus vitæ profluit omne bonæ, *NUTRITORES esse indulgentissimos, citra veri indignationem infitiari me non habere: perduret præclarissima hæc in Musas nostras faventia, qvod unicum meum votum. Id si apud vos, ceu nullus dubito, gratiam invenerit, habebit qvod cœlo imputatum eat. Summus DEUS vestrum NOVUM REGIMEN, Vosq; omnes ac singulos, omni faustitate ac gloria condecoratos rebus mortalium diutissimè interesse ac Optimo Publico superstitare clementer dignetur. Valete VIRI AMPLISSIMI ac favete. Dab. Dominicâ JUBILATE d. 12. Maij, Anno, qVo SenatVs noStrI MagnIfICI pIâ InDVStrIâ noVa ORGANA rIté InaVgVrabantVr.*

TRI-

TRIUMPHUS CHRISTI PRÆGLORIOSISSIMUS.

FActa DEumq; cano, superis qvi primus ab oris
In mundum, fato missus terrenaq; venit
Limina, multum ille & sannis agitatus & armis,
Vi noxæ, memorem justi Genitoris ob iram.
Multa qvoq; & sævo passus sub judice, donec,
Effundens vitam cum sangvine, vinceret hostes,
Infernasq; domos, atq; atri mœnia Ditis,
Et genus humanum dirâ sub morte revinctum
Eriperet, supero rursumq; inferret olympo.
Qviq; TRIUMPHATOR, tandem sacra timpora cinctus
Victrici Lauru, sanctâ comitante catervâ,
Nubivago victor conscendit ad æthera gressu,
Hostibus & fusis, patrias remeavit ad oras.
Musa mihi causas memora, qvibus excitus iris,
Qvidve dolens Rex ille poli, tot volvere casus
Insignem Pietate Ducem, tot adire labores
Impulerit? Fraus nostra fuit; nihil ille nec ausus,
Nec potuit patrare nefas. Nunqvam excidit ore
Fraus ulla, aut ulli potuit succumbere noxæ.
Culpa nocens hominum, totius crimina mundi
Causa fuêre necis. Sic nos dilexit Amicos
O infelices! Longa est injuria, longæ
Ambages, sed summa seqvar fastigia rerum.
Urbs antiqva fuit (Solymi tenuêre coloni)
Dives opum, SOLYMA, studiis asperrima Divos
Suppliciter colere, atq; aris imponere honorem.
Doctrinam Mosis qvæ religiosa colebat,
Posthabitis Christi verbis: hic illius aræ,

Hic cultu manet: hoc regnum sibi jugiter esse,
(Si qva Jova finat) jam tum tenditq; fovetq;.
Messiam sed enim Davidis sanguine natum
Audierat celebri passim increbescere famâ,
Et struere ut veteri sanciret Lege remotâ
Dogma novum. Id metuens Scribarum turba proterva,
Et memor in templo facti qvod gesserat antè.
Alter ab undecimo jam Christum ceperat annus,
In templo, veterum volvens monumenta virorum,
Ante annos animumq; gerens, curamq; virilem,
Consessus medios tenet, & sermone Magistros
Aggreditur, gaudetq; audire & reddere voces.
Responsis qvarit majora, & plura rogatis
Respondet: Suadæ vim concio tota stupescit.
Namq; movet scriptis animos, & pectora verbo
Sauciat, expromens penitrantia fulmina vocis.
Conticuére omnes intentiq; ora tenebant,
Christum admirantes, qvod sit divinitus illi
Ingenium, atq; annis rerum prudentia major.
Iamq; potens doctrinâ, ævi sub honore virilis,
Voce Palæstinas signisq; perambulat urbes.
Atq; iterùm Solymam repetit, templumq; revisit.
Merces commutant, ubi tendere nempe supinas
Ad cœlum cum voce manus plebs antè solebant;
Et pecudes vendunt, templum faciuntq; profanum.
Non tulit hanc speciem commoto pectore Christus:
Non impune tulit, nec talia passus: ab æde
Mutantes merces expellit & increpat, atq;
Verbera torta parat subitò factoq; flagello,
Nunc dextrâ ingeminans ictus, nunc ille sinistrâ,
Fortiter exturbat, versat, terretq; Danistas;
Immittitq; fugam cunctis, simul intonat ore:
Qvæ scelerum facies? Qvæ mentem insania vertit?
Hæ nobis propriæ sedes. Exite profani!
Hic precibus locus est, & non spelunca latronum.

Nec

Nec dum etiam flamma irarum, rabiesq; nefanda
Exciderant animo: manet imo corde reposta
Ægrorum cura, in sabatho sanatio. Namq;
In totâ passim Christus regione vagatur,
Et medicas adhibere manus ad vulnera gaudet.
Impia cœlestis digiti virtutibus arcet
Flamina; divinis medicando membra loqvelis
Sanat. Qveis tristi languebant corpora morbo,
Dulces linqventes animas, aut ægra trahentes
Corpora, restituit, scabiem, turpesq; podagras
Aufert, cæcigenis visum largitur acutum,
Efficit & claudos lætas agitare choreas:
Percipit aure sonos surdus; perfecta profantur
Verba. locutura qvi vocis guttura habebant
Cassa prius, redeunt in vitam munere vitæ
Defuncti, é tumulo tetrâ de morte resurgunt.
Omnibus his verbo morbos compescuit omnes.
Insuper atq; facit miracula. Pauca revolvo:
Dum læti Canæ cives convivia curant,
Exhaustum est vinum. Christus sublata reponi
Pocula cuncta jubet; puraq; infundere lymphâ
Saxea vasa monet famulos é fontibus haustâ.
En dictum factum. mox unda* rubescere cœpit.
Miratur Dapifer generosi germinis haustus,
Vitiferis ratus hæc carchesia nata viretis.
Porrò pontus erat Syriæ ad Tiberiados urbem,
Inq; hoc vela dabat Christus, comitante catervâ:
Certatim Socij feriunt mare, & æqvora verrunt.
Interea in puppi gelidoq; sub ætheris axe,
In mollem, variis turbatus pectore curis,
Lumina declinans somnum, per membra qvietem
Seram ritè dabat Servator. Et ecce repentè
Ipsis cæruleus supra caput astitit imber
Noctem hyememq; ferens, & inhorruit unda tenebris.
Inseqvitur toto funesta sub æthere nubes,
Involvitq; diem tenebris, nox incubat atra.

* חמרא Job. 2. v. 9. Syriacè & Arabicè Significat vinum rubrum.

 Info-

Intonuêre poli, crebris micat ignibus æther,
Murmuraq; indomiti miscent resonantia venti.
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus, & Cauri volvunt ad littora fluctus.
Ipse diem noctemq; negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ, mediâ Director in undâ.
Mors gravis ante oculos, cœlum undiq; & undiq; pontus,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.
Hic subitâ Sociis gelidus formidine sanguis
Diriguit, cecidere animi, tremor occupat artus.
Conjuncti accedunt pavidi cum voce Magistrum:
NATE DEO, potes hoc sub casu ducere somnum,
Securus tumidi pelagi? compagibus omnes
Accipiunt naves imbrem, rimisq; fatiscunt.
Eja age confer opem, ventos inhibeto furentes:
Qvæ pelagi facies, qvæ sint discrimina cernis?
Ni subitò auxilio venias pereuntibus, actum est.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamq; hyemem persensit Christus, & imis
Stagna refusa vadis penitus, (miserabile visu)
Corripit è somno sese, stratumq; repentè
Deserit, & graviter commotus, voce timentes
Increpat: O vacuiq; fide, mersiq; timore!
Qvid trepidatis adhuc? an me præsente nocebunt
Æqvora jam, murmurvè poli? possum omnia. Nobis
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos
Æterno imperio, Divûm Pater atq; hominum Rex;
Nimborumq; facit, tempestatumq; potentem.
An cœlum terramq; meo sine numine venti
Miscere, & tantas audebunt tollere moles?
Sic ait, & dicto citius tumida æqvora placat,
Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.
Tum venti posuêre, qviescunt murmura ponti,
Sæva nec intumuit stridentibus aura procellis.
Mirantur turbæ, qvis sit, cui tanta potestas,
Imperiumq; datum pelagi; qvi voce repellat

Luctan-

Ꝉtantes ventos, tempestatesq; sonoras,
pelagus, Boreas, cui pareat ardum æther,
es validas cœli moderetur & orbis habenas!
Talia multa facit Christus miracula. Sanat
rdos & mutos, & qvos furor impius intus
ncutit. Exiguis hominum benè millia multa
nibus exsaturat, binis & piscibus. Omnes
octe domum saturi redeunt, curasq; resolvunt.
ostqvam exempta fames, & amor compressus edendi,
elliqviis Cereris bis senos porrò canistros
Explent. Cuncta DEI qvis posset facta referre?
Non, mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes sævas comprendere pestes,
Omnia morborum percurrere nomina possum,
Qvos Dominus cœli virtute potente levabat.
His accensa super tentabat livida turba
Divinâ virtute Ducem demittere ad orcum.
Haud mora: continuò magnas it Fama per urbes,
Fama malum, qvo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresq; acqvirit eundo.
Parva metu primò, mox sese attollit in auras;
Tam ficti pravíq; tenax, qvàm nuncia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens; & pariter facta, atq; infecta canebat:
Advenisse virum, qvi priscos tollere ritus
Audeat, in vulgum ambiguas & spargere voces.
Qvem si fata virum servent, fortuna seqvatur
Prospera, continuò nec pellant finibus: ingens
Exitium imperio Judæ, cunctisq; futurum.
Nec regni sceptrum, nec patria mœnia posse,
Nec populum antiqvâ sub relligione manere.
Hæc passim Dea fœda virûm diffundit in ora.
Extemplò Satanas servans sub pectore vulnus,
Hæc secum: mené incœpto desistere victum?
Nec posse imperio sacrum frenare Prophetam,
Aut nova cælicolûm jam nunc evertere cœpta?

Nonne ego sum Princeps mundi & Dux ætheris alti?
Qvippe vetor fatis. Nonne olim lurida Echidna
Primigenum potuit Paradiso expellere Adamum,
Illius ab noxam, sævis hortatibus actus,
Dum vetitum malum Furiis agitatus edebat?
Ast ego, qvi cœtus incedo Ductor Averni
Perfidus, horribilis, trux, noxius, invidus Anguis,
Hac unâ cum cœlicolûm modò gente tot annos
Discepto, & qvisqvam Numen Phlegethontis adoret
Præterea, aut posthac solitum decernat honorem?
Talia flammato secum dum corde volutat,
Præproperè Stygiis venit atra Calumnia ab antris,
Monstrum, invisum, infensum, inimicum hominiq; Deoq;.
Hanc atq; Invidiam Momo commista maligno,
Uno eodemq; Megæra tulit sævissima partu.
Huic qvotcunq; horrent sqvamoso in vertice pili,
Ignivomis totidem subnixi crinibus angues
Dependent, linguisq; micant, stridentq; trisulcis:
Atroces etiam dentes, faucesq; cruentæ
Nil, qvàm virus habent, nil qvam lethale venenum
Exhalant, morsuq; suo simul omnia perdunt.
Non veri & facti; sed ficti & nuncia falsi.
Hæc tum tartareis emissa Calumnia regnis
Protinus ad Scribas cursum detorqvet iniqvos.
Atq; potens Furiis, toto flammantis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis,
Ædes invadit Procerum, sedesq; superbas
Scribarum inspirans virus lethale, repentè
Incenditq; animos dictis, exaggerat iras,
Invertit fas atq; nefas, invertit, & omnia
Arripit in pejus Christi verba, aggravat iras.
Non hunc esse Deum Patribus, mendacia spargit,
Promissum; Fabro sed natum, dogmata falsa
Fingere, Terrigenas miserè magicasq; per artes
Fallere, præceptis veteremq; infringere legem.

Et subitò è mediis Solymis, viciniq; propinqvis
ecitat ingentes turbas, odia aspera adaugens,
vò Christo insidias tendant, ut ovilia circum
sidias lupus agnellis meditatur inermis.
stigat Proceres, atq; arma capessere mandat.
nde nec invidiæ stimulis agitata qviescit
oncio Scribarum, locat illi retia mille.
Nec mora. conveniunt Primates undiq; plebis,
Cæca Pharisæa conspirat factio gentis.
Jamq; Sacerdotum primi, totusq; senatus
Consilium summis regni de rebus habebant.
Tum Caiphas solio medius consedit avito,
Et qvassans caput hæc effudit pectore dicta:
Hic Christus, malè qvem seqvitur miserabile vulgus,
Exitium nobis nostrisq; nepotibus olim
Inferet, evertet vatisq; oracula Mosis.
Accipite ergò animis, atq; hæc mea figite dicta,
Sunt vires nobis, rebus spectata Juventus,
Mittamus, Christum incautum, & nil tale verentem,
Qvi captum nobis adducant. Inde fremebant
Omnes assensu, pro multis ut cadat unus.
Interea Christus, qvi noverat omnia, firmus
Stat, ceu dura silex, ceu stat Marpesia cautes,
Atq; asinâ vectus Solymeja mœnia adintrat.
Dat gemitum ingentem, lacrumisq; ita fatur obortis:
O fortunatam nimium tua si bona nosses
Jerusalem! at qvia nec precibus lacrumisve moveris,
Instat summa dies, & ineluctabile fatum,
Qvo te, qvo Natosq; tuos premet hostis acerbus,
Non lapidem lapidi, non saxis saxa relinqvet,
Tecta superba cremans; gentem cum nomine tollet.
Singula qvid memorem? qvis tàm fata aspera fando
Temperet à lacrumis? Felices, qvi sua deflent
Crimina flente DEO! dum flecti Numina possunt,
Dum præstò DEus est, Homo, vitam corrige. Jamq;,
Postqvam prorupit qvestus hos pectore ab imo,

In

In sanctam parat ingressum Rex ætheris urbem.
Visendi studio, portis effusa juventus,
Matres atq; viri, pueri innuptæq; puellæ,
Invalidiq; senes, turres ac tecta domorum
Obsedêre; alij decisis undiq; ramis
Palmarum occurrunt, ad nubila IUBILA jactant.
Aurea conscendit vagitus sidera, cantant
Qvi mutilos possunt sonitus vix reddere: salve,
Salve, SALVATOR, ter salve, sancte REDEMPTOR!
Auspiciis allate DEI, DEUS ac Homo salve!
Salve! solve malis nos cunctis IUBILAT omnis,
Tu Decus omne Tuis, tu janua vera salutis!
Mox Pharisæorum furiis exarserat atro
Felle dolor, sævaq; infrendunt dentibus irâ.
Jamq; dies aderat Paschæ, qvo ritè qvotannis
Agnus mactari veterum de more solebat.
Hunc igitur Christus solito celebrabat honore:
Bethaniâ siqvidem Socios præmisit in urbem,
Tecta parare jubens, tenerumq; ab ovilibus agnum.
Postqvam prima qvies epulis, mensæq; remotæ,
Ipse mola, ipse Patris sacra victima, & hostia, fœdus
Abrogat antiqvum, novum & ordinat, Agnus Jovæ.
Tempus erat qvo prima qvies mortalibus ægris
Incipit, & dono divûm gratissima serpit,
Magno inter primos Genitori instaurat honores.
Suspiciens cœlum, Cererem partitur in omnes,
Implevitq; mero pateram, ritusq; sacrorum
Edocet, immiscetq; preces, ac talia fatur:
Audite ô Fidi, simul & spes discite vestras.
Accipite hunc sanctum gratanti pectore panem.
Scilicet hoc nostrum est pro vestro crimine, ligni
In cruce tradendum, corpus: sanguis meus hic est.
Hunc modò pro vobis, Socij, bibite effundendum.
O summum donum! qvid tanto munere majus?
O si divinas mihi monstret tertius arces
Æther, & pandam tanti mysterij abyssum:
Munere nil tanto majus, nil altius illo est,

Exin

Exin cuncta viris memorat, qvæ deinde gerenda,
Et variis mulcens mœrentia pectora dictis,
Incendit Flatus animos venientis amore.
Inter at hos actus, media inter talia verba,
En aderat, qvi se notum rogitantibus ultrò,
Hoc ipsum ut strueret, Christumq́; necaret Jesum
Obtulerat: fidens animi, atq; in utrumq́; paratus
Iscarioth. Procerum insidias en discite ab uno!
Namq; ut conspectu in medio turbatus in horto
Astitit, ipse doli tanti fabricator, Judas
Proditor, atq; oculis Christum conspexit inermem,
Accedens ora premit, prædulcis Amici
Sub titulo, & blandâ Dominum sub imagine prodit,
Se socium simulans, & amicâ fraude salutans,
Audax, crudelis, fallax, sceleratus, avarus.
Præscius at Christus fraudisq́; doliq́; latronis,
Subjicit hæc breviter: tunè oscula figis, Amice,
Et me voce tuâ prôdis? nec plura loqvutus
Constitit, atq; oculis densa agmina circumspexit.
Exclamat demum: corám qvem qværitis adsum.
Ad vocem hanc cecidere omnes peditesq́; eqvitesq́;
In terram; gemuere viri, fusiq́; per herbam
Incensis atris facibus sub nocte silenti,
Terrentur graviter, prestere uti fulminis acti.
Deniq; cum clamore ruunt: armatus obusto
Hic torre, hic dextram gravidis in prælia nodis
Stipitis expediens, hic funibus acer, hic armis
Lucidus, hic gladio fidens, ille arduus hastâ
Invadit subitò, vitam cum sangvine poscens.
Non tulit insultus hos Petrus, percitus irâ,
In medium injecit sese moriturus in agmen,
Diripuitq́; ensem vaginâ, vulnere servum
Pontificis violans, dextram ejus deputat aurem.
Verùm mox Dominus: qvæ mens tàm dira trementem
Impulit his cingi telis? aut qvo ruis? inqvit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis

Tempus eget. Roseo sic fatus is ore, recepit
Ad sese medicus violatum vulnere servum,
Auriculam capiti rursum inserit atq; resectam.
Nox erat: & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras latè, sopor altus habebat
Altituum pecudumq; genus: natura silebat.
Ecce Sacerdotes late loca qvestibus implent,
Cum populo & Patribus, serpitq; per agmina murmur
Plebis, ab immerito cum sangvine poscere pœnas.
Nec mora, nec reqvies, Proceres, Scribæq; feroces
Undiq; collecti, magno clamore seqvuntur
Insontem, sævitq; animis ignobile vulgus.
Postera Phœbeâ lustrabat lampade terras
Humentemq; aurora polo dimoverat umbram,
Qvum subito acciti cuncti populusq; Patresq;
Intus consilium capiunt, qvo funere mulctent
Invisum Christi caput, & prætendere lethi
Causas qvas possint, fallaci mente reqvirunt.
Discipuli aufugiunt & nocte teguntur opacâ.
Jamq; dies cœlo concesserat, almaq; curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat olympum.
Solus conseqvitur Petrus. Ter voce negabat
Mox tamen (heu!) Dominum, casu percussus iniqvo,
Ante focum (nam frigus erat) qvum staret in aulâ.
Hoc fore prædixit divino ex ore Magister.
Exinde ad Caiphæ Christus deducitur ædes;
Hic falsi testes certant illudere capto.
Ipsumq; insinuant mendaci crimine, falsi
Incusant, fariq; jubent qvo sangvine cretus;
Qvidve velit, memores; qvæ sit fiducia, dicat.
Compellat solio sublimis voce sacerdos
Adductum: mihi nunc edissere vera roganti,
Tune ille es Christus, proles Jovis omnipotentis?
Christus ad hæc: sum nempe DEI verissima proles.
Testibus haud opus est aliis, pro talibus ausis,
Pro scelere, exclamat Caiphas, dabis improbe pœnas.

Arreptumq;

Arreptisq; simul concurrunt undiq; telis.
Divinum qvatitur flagris (miserabile dictu,)
Corpus, & innocuo pratoria sangvine sudant.
Hic spuit ore, alter diverberat ictibus illum.
Tollitur ad cœlum clamor, cunctiq; repentè
Invadunt, spinisq; ligant ingentibus illum.
Irrident; erratq; aures & timpora circum
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.
Esse reum mortis clamant, & Cæsaris hostem.
Hei mihi, qvalis erat, qvantum mutatus ab illo
Christo, qvi qvondam consperfit lumine montem
Thabor, & è sacris efflavit naribus ignem!
Ipsemet avertit vultum Pilatus & inqvit:
Aspice: qvalis homo? visu Phlegethonta moveret.
Qvalis homo! at totus clamore incenditur æther.
Omnes ingeminant: remove, crucifige, trucida!
Fige cruci, remove, crucifige, Pilate, trucida!
Tympana pulsa cient, bombi implent compita campo.
Unaq; vox: talem terris avertito pestem!
Qvis gemitus, ô Christe, tuos, qvis vulnera fando
Explicet! aut possit lacrumis aqvare dolores?
Sic itaq; ad mortem vinctus raptatur acerbam.
Vestibus exuitur, ferro terebratur acuto.
In cruce suspendunt miserandum & flebile corpus.
Atq; manus pariterq; pedes, artusq; tenellos
In trabe distentos ærata cuspide figunt.
Sangvinis ut largo manaret flumine stipes.
Ligno hæret, cœloq; ardentia lumina tendit:
Lumina, nam palmas ferrum terebravit acutum.
Mox felle & tristi sitiens potatur aceto,
Latronum in medio, velut ante immanior omnes
Crimine, trajectus corpus mucrone machæræ.
Qvo sumpto os aperit solamine: cuncta peregi.
Sat fatis meritisq; datum, sic infit, ad ultra
Vocem iterum attollens: Pater oro, fer obvius almos
Amplexus animæ. Dixitq; novissima verba:

Hanc animam tibi commendo pater ætheris alti.
Occupat os pallor, corpusq; hac voce reliqvit
Spiritus: & vitam, ponens caput, exspiravit.
Purpureus veluti qvum flos succisus aratro
Langvescit moriens, lassove papavera collo
Demisêre caput, pluviâ cum fortè gravantur.
Christe mihi vitâ semper, dum vita manebit,
Chare magis, Christe innumeris exercite fatis,
In cruce qvæ tibi vox fuit ultima, ut ultima fiat
Vox eadem mihi in hac vitâ, da Christe Redemptor!
Jam mors, jam stygius Coluber, jam Mundus ovabat.
Heroem vitæ penitus periisse putantes.
Lætitiæ nimiùm sed erat breve tempus, Averni
Nuncius horribili per inobservata tumultu
Tecta ruit, magnuq; locum terroribus implet:
Progeniem superi regis descendere Christum.
Extemplo turbata cohors fugit ocyor Euro
Hic spelæa subit, tristes cadit alter in undas.
Hic aliud majus populo, multoq; tremendum
Obiicitur, magis atq; improvida pectora turbat.
Nam simul ac Christus telluris operta subivit,
Sub pedibus mugire solum, & juga cœpta moveri
Sylvarum, insolitis tremuerunt motibus urbes.
Incipit ingenti misceri murmure cœlum,
Et tremefacta solo tellus, avulsaq; saxis
Saxa ruunt; fugêre feræ, & mortalia corda
Per gentes humiles stravit pavor: inde repentè
Dat tellus gemitum, & cœlum tonat omne fragore.
Terra tremit, tremulæ patuerunt viscera terræ.
Vidisses animas imis exire sepulcris.
Qvin ipsæ stupuêre Domus, atq; intima lethi
Tartara, & umbrosæ penitus tremuêre cavernæ.
Umbræ ibant tenues, tellus atq; æqvora ponti
Signa dabant: sistunt amnes, terraq; dehiscunt.
Sol, qvi terrarum flammis opera omnia lustrat,
Palluit adspectu, simul atq; remisit habenas,

Et ca-

Et caput exoriens nitidum ferrugine texit
Obscurâ, prorsus sine sole ter iret ut hora.
Ostendit mœstam frontem, lacrumâsse putares.
Vultum, quo cœlum tempestatemq́; serenat
Avertit miserè mundo. Nox incubat atra.
Lux oritur, nascente DEO, moriente recedit.
Quas ut in Ægypto vidit Dionysius umbras,
Obstupuit totus plorando talia verba:
Aut nunc natura patitur fabricator & autor,
Corruet aut ingens totius machina mundi.
Omnis compatitur Christo natura, sed unus,
Propter quem patitur, non est compassus homullus.
Hac rerum series dum vertitur: ecce triumphans
Vi redit in vitam propriâ invictissimus Heros,
Se Dominum esse probans, vitæq́; neciq́; potentem.
Et jam magnanimos movet ad nigra tartara gressus
Salvator, parat invictum se accingere bello.
Vasta jacet spelunca, nigras Acherontis ad undas,
Carcer inexpletæ mortis, Chaos atq́; barathri.
Vestibulum ante cubat ructans tria Cerberus ora,
Umbrarum custos, & sævi Janitor Orci.
Hunc circumstabulant furiis stimulantibus acti
Noctivagi fratres, flammasq́; picemq́; vomentes.
Circumerrant Furiæ ardentes, Hecateq́; triformis,
Cui Socij Luctus Curæ, Morbiq́; rapaces,
Horribiles visu Larvæ, capitosaq́; Monstra.
Has animis, fidensq́; simul cœlestibus armis,
Infernas sine Sole Domos, loca turbida, adibat.
Improvisus adest, penitrat per claustra, per umbras
Et cæcos aditus Christus fumantis Averni
Jam demoliri, omninoq́; evertere tentat.
Adventante DEO, cadit obice fracta revulso
Janua, quam poterat vis frangere nulla Gigantum.
Pallentes umbras Erebi terret. Tremit impia Judæ
Umbra, tremunt Furiæ: tremuit Rex ipse tremendus
Inferni, & victus fremit horridus ore cruento,

 Longa

Longa foret mora fortunam memorare duelli,
Qvo Christus vicit Satanam, stygiosq; Dracones.
Hostis atrox visu LEX obvia cernitur illi,
Justa, severa, ferox, minitantia spicula torqvens.
PECCATUM rigidum (dictu illætabile) amarè
Continuò furere & fremere incipit ore trisauci.
Irarum flammæ ardescunt, velut impete facto.
Non secus ac si fors vicino admoveris igni
Ardentes stipulas, natamq; paludibus ulvam.
Hoc crepat, hoc fremit, hoc furit, hoc despumat acerbam
Cerberei spumam cerebri, virusq; Gebennæ;
Atq; ipsum dictis invadit talibus atrox:
Tu qvis es? unde venis? stygiis qvid qværis in antris?
In genus omne hominum summo cum jure superbum
Imperium usurpo. Fuge Tartara, cede. Qvid hic vis?
Sic ait. At verbis graviter commotus JESUS:
Ipse tuam novi rabiem seclis tot multam.
Ast ego te vici: regnum vici omne barathri.
Dixit: & excussit manibus fera tela Tyranno,
Qvodq; in mortales habuit jus, eripit ipsi.
Vix ea: fit via vi, disrupta à cardine claustra
Diruit, evertens solida fundamina molis;
Aggrediturq; Heros Regem aulæ, ac talibus infit:
Perdita gens, qvæ vos dominandi insana libido
Impulit, adversus Regem fera bella movere,
Qvem superûm Aula colit, mundi orbita vasta veretur?
Dixit: & injiciens intorta adamante perenni
Vincula, captivos ducitq; ligatq; catenis.
Calce caput terit infandum, calce atterit angvem,
Tartareasq; premens Solpugas, destruit omnem
Funditus infernum, rumpitq; Acheronta Redemptor.
Qvantus ibi horrendis in spelæis ululatus!
Qvantus mugitus, fremitus, stridorq; rudentum!
Adspice, ut Eumenides trepidentq; cadantq;, gemantq;,
Pallida Tisiphone, Alecto, & furibunda Megæra!
LEX gemit elumbis, duplicato compede vincta,

Contusos

Contusos vibrans arcus, infractaq; tela.
PECCATUM exanime incedens labat hac, labat illuc.
Sqvalida mirando MORS hoc superata duello,
Incedit tristi singultus pectore ructans.
Tertia sed gelidam lux vix dimoverat umbram,
Qvum subitò ætheriis Juvenis delapsus ab astris
Aliger, effulgens Phœbéæ lampadis instar,
Aëra dimovit tenebrosum, & dispulit umbras.
A foribus saxum speluncæ avellit, & orbis
Fundamenta qvatit; tremere omnia visa repentè
Culmina tectorum; nutant cum montibus urbes.
Jamq; pedem referens superas veniebat ad auras
Messias: cernunt custodes scrinia aperta,
Corpus ubi exanimum positum, (nec claustra nec ipsi
Custodes sufferre valent) avulsaq; saxis
Saxa vident. Gelidus vigilum per duræ excurrit
Ossa tremor, subitaq; coit formidine sangvis.
Labuntur proni in terram, vox faucibus hæret.
Horror ubiq; animos simul ipsa silentia terrent.
Fit sonus, immani concussa est pondere tellus.
Fulmineum fundit Juvenis jubar ore decoro,
Qvem saxum vastâ tumuli de mole moventem
Obstupuere viri vigiles velut exanimati.
Sic Christus linqvens antrum, spoliisq; superbus
Ibat ovans, pulsuq; pedum tremit excita tellus.
Ad tumulum matres demissis vultibus ibant
Unctura corpus Domini, geminosq; tuentur
Aligeros Juvenes, indutos vestibus albis.
Qvi dicunt: Dominus surrexit, vincula rupit
Mortis, & inferni superavit pallida regna.
Hunc neq; vis, neq; fraus, neq; saxea claustra sepulcri,
Nec vigiles etiam Pilati militis ira;
Nec claustris impressa fides ab imagine signi,
Nec Mortis tenuit rabies. SURREXIT ab umbris
Mortis. SURREXIT, SURREXIT CHRISTUS, abite,
Atq; hæc Discipulis jam nuncia læta referte;

Acria

Aeria cum sævâ qvi gessit prælia Morte,
Morte triumphatâ vivus SURREXIT JESUS.
Illæ continuò volitant, ac visa reportant.
Emicat & ventis & fulminis Ocyor aliis
Petrus; Johannes seqvitur non passibus æqvis.
Sed Petrus tumulum prior introgressus inanem
Conspexit; calcemq; terit jam calce Johannes,
Qvi vacuam vidit, revolutaq; lintea, tumbam.
Post juxta sacrum stat Magdalena sepulcrum,
Et gemebunda, oculos lacrumis suffusa nitentes.
Amissum qveritur Dominum; tumuloq; relicto
Incubat, illum absens absentem auditq; videtq;.
Nam qvem non usqvam conspexerat, esse putabat
Nusqvam: tundebat mæstis præcordia palmis.
Jam se custodem Christus transformat in horti,
Et Mariam alloqvitur jactantem pectore curas:
Cur ploras Mulier? lacrumas cur volvis inanes?
Corpus ubi positum est, inqvit, miserabile Christi?
Dic, qvibus in terris, aut qvâ regione reqviram?
Ibo, & tentabo cervici imponere nostræ,
Ipsa subibo humeris, nec me labor iste gravabit.
Tum proprio Mariam compellat nomine Christus:
En, qvem qværis, habes coram, coram adspice CHRISTUM!
Accurrit. Notam nam vocem agnoscit JESU.
Pòst duo qvum Socij peterent Emaunta, perempti
Fata sui Regis vario sermone qverentes,
Ignotus mox Christus eis comes additur, ambos
Solatur, varioq; viam sermone levabat.
Exturbat curas: simplex & ut Advena causas
Qværit, cur tanto juvet indulgere dolori.
Illi cum gemitu, cum fletibus, ordine pandunt
Omnia, qvod letho dederit manus effera summum
Vatem, non dignum lethi vel labe vel ullo
Crimine: qvod Socios spes vana fefellerit ægros.
Nec mora, cæcorum lingvæ gravitate refutat
Stultitiam præsens DEUS, & trepidantibus illis

Prisca

Prisca refert talem monumenta minantia casum.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci,
Tum Cleophas parvi subter fastigia tecti
Christum deduxit, stratúq; locavit. At ecce,
Dum victu revocant vires, agnoscere JESUM
Incipiunt. caligo fugit. Sed & agnitus Heros
Ceu fumus tennes fugit extenuatus in auras.
Prævius it sociis, Galilæaq; regna revisit,
Seq́; DEUM toties manifestâ luce professus,
Res aperit nostræ supra rationis acumen,
Dulcia dicta DEI de regno pandit. Et illi
Dum clausis intus cunctantur in ædibus, ecce
Restitit in medio, claraq́; in luce refulsit
Desubitò, multo manifestus lumine, qva se
Luna per insertas fundebat plena fenestras.
Atq; hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenit, admirans numerum, cunctiśq; repentè
Improvisus ait: coram, qvem qværitis adsum.
Pacem optat cunctis, & nomine qvemq; salutat.
Sed Didymus Christum risuq́; sonoq́; repugnat
Vivere, cuncta vocans nugas, & inania verba.
Rex inopinus adest, & dictâ PACE repentè
Se Thomæ ostendit dubitanti, vulnera sancto
Fixa gerens lateri, manuumq́; pedumq; coruscâ
Luce cicatrices fulgentes monstrat, & inqvit:
Tange cicatrices digitis in corpore. Vivo.
Ipse ego sum. Tangit Thomas pia vulnera, & inqvit:
Est mihi visa DEI facies: nunc credo. Negabam
Qvæ nisi visa prius, modò, credere, credere cogor.
Namq́; DEUM ac DOMINUM jam præsens cerno. Sed ille,
O dilecta cohors, inqvit, seclude molestas
Curas, intrepidè præsentem crede salutem!
En promissa fides Patribus: delapsus olympo
Patris ego æterni Natus, de Virgine carpens
Mortales auras mirando fœdere, sumptis
Membris, humanæ commissa piacula gentis

D

Solvi

Solvi, morte meâ mortem, totamq́; phalangem
Destruxi Satanæ: offenso sua debita Patri
Exsolvens, vestras delevi sangvine culpas.
Omnibus usq; locis adero, dum stabit hic orbis.
Fortunatæ animæ, carè mihi turba redempta,
Surgite, & æternis ululantia linqvite pœnis
Tartara, & Elysias mecum conscendite ad arces!
Et DEUS, est vester nunc omnis factus olympus.
Invigilate piis precibus, timor omnis abesto.
Hi nostri reditus, exspectatiq́; triumphi.
Accipite ergò animis: qvæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet. Revocate animum, mœstumq́; timorem
Mittite, jam vosmet rebus servate secundis.
Dixerat: atq; simul faciem ostentabat & ora,
Ora manusq́; ambas, populataq́; pectora ferro.
Immiscentq́; manus manibus, gaudentq́; videntes:
Nec vidisse semel satis est, juvat usq; morari,
Et conferre gradum, & dextra conjungere dextram.
Sustollunt cuncti passas ad sidera palmas,
O sole infandos, geminant, miserate labores!
Qvi piceos inter fumos sqvalentis Averni,
Omnibus exhaustis jam casibus, alme salutem
Rex laturè venis! grates persolvere dignas,
Non opis est nostræ, nec qvicqvid gentis avitæ
Restat ubiq;, vagum qvæ latè sparsa per orbem.
O Spes longa Patrum, qvæ te tàm læta tulerunt
Secula! dum pascet convexum sidera cœlum,
Donec erunt homines, donec maris unda sonori,
Semper honos, meritumq́; tuum, Rex Christe, manebunt.
Debita Discipuli victori Epinicia cantant,
Ingeminant hilares cœlorum JUBILA Regi.
In faciem effundunt superatæ hæc scommata morti:
Invida Mors, ubi sunt tua tela, ô horrida tela?
Mors ubi, qvæ nocuo torqvebas tincta veneno
Spicula? ubi falces? ubi formidabile regnum?

Nempe

Nempe jaces, jugulata jaces, jugulata jacebis.
Mors tua mors Christi; sed nobis vita salusq;,
Et Pax & Reqvies & Cœlum. Tela retusa,
Tela retusa jacent. Dentem non amplius audes
Exegisse piis per pectora, turbine adacta
Perpetuam ad luctus sedem Noctemq; profundam.
LEX ubi nunc rigidi tua sæva potentia juris?
Nempe jaces, deleta jaces, deleta jacebis.
Prostravit Dominus te vitæ ad lumina surgens.
Morte suâ mortem vicit, victoria victo
Reddita: vita necem necuitq; necata triumphans.
Pestis erat pesti, morti mors, & Avernus Averno:
Sedat & eludit, cohibet, domat, opprimit, aufert
Terrorem, fraudem, insultum, rabiem, arma, catervas.
Vah! inferne SATAN, qvi formidabilis olim;
Ecce jaces, contrite jaces, occise jacebis.
Pulse jaces, plagis exauthoratus acerbis.
Sæve Inferne, horrende Inferne, INFERNE superbe;
Nunc ubi, nunc ubi sunt, ubi sunt tua tela? retusa
Ac confracta jacent. Fracta atq; explosa jacebunt.
Lex, Mors, Supplicium crimen censura Reorum,
Omnia sunt Christi absorpta atq; adoperta sepulcro.
Mortua MORTA jacet. Nobis nemo amplius hostis
Expallendus erit: stant latè excisa silentis
Tristia regna Erebi, & diræ Domus horrida noctis.
Edomitum omne nefas. Mors ipsa est mors sibi facta.
Niliacas hodie terras, Pharaonia Regna,
Linqvimus, & duras jam libera turba catenas
Exuimur, dulces patriæ reditura sub oras.
Vescimur agnello paschali: scala Jacobi
Tenditur; & superas iterum fas scandere sedes.
Est victor, qvi victus erat. Victoria victo
Reddita, victoris mors est absumpta triumpho.
I nunc, atq; tuis homines terreto tenebris,
I, vano percelle metu, dirumq; minare,
Cerbere, & infernæ, Pluto, ferus arbiter aulæ?

Omne genu cœleste, genu terrestre, genu omne
Inferni ad Christi modò nomina sancta tremiscit.
Non, ubi decidimus, nobis nunc perpetuò una
Nox stertenda: erit illa dies, qvâ prisca reviset
Ossa calor, dubiisq; educet vita sepulcris,
Reddita per Christum, qvo mors devicta fatiscit.
His demum exactis Dominus juga celsa petivit
Montis oliveti, socij comitantur euntem.
Tollit se nubes, medius discedit & aër,
CHRISTUS olympiacas cœli sublatus in arces,
Ad dextram Patris summo consedit honore,
Jam Dominus factus pelagi, telluris, Olympi.
Stabant orantes imâ radice relicti
In montis Socij, fundentes vota precesq;.
Turbatis desiderio mœstisq; Magistris
Alati dicunt Juvenes fulgore decori:
Qvid Galilæi adeò sublimi sidera vultu
Suspicitis? qvid stare juvat, cœlumq; tueri?
Hic JESUS, nunc à vobis adsumptus in altum
Sic veniet, velut in cœlum vidistis euntem.
Qvæ tibi reddemus pro tali dona brabéo?
CHRISTE tuis meritis qvæ carmina digna canemus?
Tu nobis qvodcunq; boni est, Flatumq; Patremq;
Concilias, tu das vitâ gaudere beatâ.
Te salvi salvante sumus, redimente redempti,
Te dante, accipimus cœlestia munera vitæ.
Ergò lætemur, meletemata grata canentes.
Ipsa fugax terræ, CHRISTO redeunte, revertit
Gratia, luxuriant campi, balant floribus agri.
Palmes agit gemmas, viridem rudis arbor honorem
Explicat, inq; novos credunt se germina flores.
Altior igniferos croceo velamine fulgens
Oceano currus Sol tollit, lumine mundi
Limpidiore micans orbes perfundit amicos,
Ac roseum jubar extendit, radiisq; coruscat,
Extinctum qvi te fuerat miseratus opertus.

Terrarum

Terrarum exultant tractus: violaria campum
Pingunt, ridet ager viridanti gramine vernans;
Purpureos expicta sinus, & florida cultu
Multicolore nitet jam tellus, adstrepit aura.
Qvid multis? omnis CHRISTO victore triumphat
Æther, omnis humus CHRISTO surgente resurgit.
Scilicet hæc ævum produnt monumenta futurum,
Qvum compressa solo vivus calor ossa reviset,
Inq; novum corpus florem immortale redibit,
Qvod mortale fuit, cœli sub vere perenni,
Qvum rursum exibit caro vivificata sepulcris.
Cura fugit, timor omnis abit, mœrorq; dolorq;,
Qvum venit in mentem nos post fata, ultima fata,
Prima recepturos esse ossa animamq; solutam,
Et virtute novâ cœlestia conscensuros
Regna. Isthic dabitur contingere, cernere corám
CHRISTUM, promeruit qvi fuso sangvine nobis
Cœlica regna poli, qvi Janua vera Salutis.
Cœlum est reclusum. Nunc gaudia promere fas est.
Surrexit, rupitq; obsepti claustra sepulcri.
Surrexit, stygiæ evertens vada nigra paludis.
Surrexit, qvi nostra salus. SURREXIT JESUS.
Fas mihi lætitiam, fas gaudia condere versu.
Tradidit unus homo nos morti, furta patrando:
Reddidit unus homo nos vitæ, errata piando.
Eja DEUM, laudate DEUM, laudate benignum!
Nullum Instrumenti taceat genus, omnia psallant
ORGANA, panduræ, psalteria, crembala, cannæ,
Cymbala, sistra, fides, lyra, tympana, nablia, chordæ,
Barbitos & litui, tuba, buccina, fistula, cantes,
Et qvicqvid modò nomen habet, vocale sit, atq;
JUBILA grata DEO melicis ebuccinet hymnis!
Imprimis qvæ, CHRISTE, tuo construxit Honori
Magnifici nostri PIETAS & CURA SENATUS

Autorum PATRUM victura nomina cedro
Inscribes, grata atq; ad secla profunda Nepotum
Transmittes) NOVA, dulcisono resonantia cantu,
Chromate flexanimos numeros crispante figurent,
Atq; tuas celebrent laudes, animata subinde
Doctis evarient digitis modulamina vocum.
Gloria CHRISTE tibi, tibi gloria, CHRISTE, Redemptor
Summi æqvæva Patris soboles, tibi gloria in ævum!
Nunc etiam Alitibus sors nostra beatior exstat,
Immò sumus Geniis potiori sede beatis;
Qvâ conscendit enim caput, integra membra seqventur.
Jam sedet ad dextram, CHRISTUS de Virgine, massa,
Qvam sumpsit, celso caro nostra triumphat olympo.
Salve ter, victor cunctorum invicte malorum,
CHRISTE DEI FILI, qvi, qvod non antè fuisti,
Factus es, ut fierem, qvod eram, qvod et usq; manebas!
CHRISTE tua Genitor matris, nataq; propago,
CHRISTE super nostrâ molite salute laborem;
CHRISTE salutifero pro nobis dedite letho;
CHRISTE Tuis donans labarum insuperabile morte,
Sempiterna tibi sit Laus, sit gloria, Honorq;.
CHRISTE MAGISTRATUM serva: JAN-GEORGIUS ille
Princeps Magnanimus, constans, ille Inclutus Héros,
Vivat perpetuò felix! pia GERMINA RUTÆ
Florescant! OMNES, modò qvi versantur in AULA,
Vivant felices, sint terq; qvaterq; beati.
ELECTORIS Amor, qvi dirigit, intimus ille;
Relligionis opus, FRIDERICUS METSCHIUS, usq;
Sit felix: felix HOEUS vivat in omne,
Urbis & Orbis Amor, Virtutum Gloria, Princeps
Theiologûm, ævum: felix sit STRAUCHIUS ille
Usq;, Decus nostrum, cujus perspecta per omnes
Virtus se differt radiis illustribus oras!
O vivat felix, cui Secretissima rerum
Saxo dat, Aulæ FLOS, sit DIVES PANIBUS usq;.
Fautor is Aonidum, Patriæ cor amabile Patri,

CHRI-

CHRISTJANUS REICHBROD, successus ingerat ipsi
Perpetuò Fortuna suos : benè vivat ô Ille,
Qvi rursum jam nunc moderatur publica rerum,
Canities veneranda Patrum, Putealis Asylum,
Consiliante operâ, sit ab omni parte beatus,
VVERNERUS, qvem Saxo sui Caput esse SENATUS
Jussit : sit felix HEYMANN, qvem lactea fandi
Ubertas, cerebriq; cati pollentia solers
Nobilitat, docuit qvem Pallas & aurea Peitho
Consiliis solidis animare negotia rerum !
Floreat ac vigeat, vireat bene, JENTSCHIUS ille,
Qvem virtutis honor, divesq; peritia rerum,
Doctrinaq; vigor, mens & solerter in omnes
Consilij formas pro re se vertere pernix,
Vexit ad eximium meritorum culmen Honorum !
Imò SENATORES omnes feliciter usq;
Vivant, consiliis qvorum Respublica crescit,
Et qvorum adjutu Schola nostra virescit, amico
FONTE fluat semper BORNERI Gratia abundans !
Imi cum Summis & cum Majore Minores,
Omnes felices vivant sub tegmine cœli !
Donec erit vegetus circum præcordia sangvis,
Vividus & vivos color & calor imbuet artus,
Horum perpetuò celebrabo nomina amica.
Desino. Sic breviter cecini modò, Magne, Triumphum,
CHRISTE, tuum, æternùm qvem, qvicqvid, cantet, in orbe.
Qvicqvid in orbe viget tua psallat munera, nostra
ORGANA concelebrent Epinicia tanta per ævum :
ORGANA, in hunc finem qvæ struxit summa SENATUS
Cura, Amor ac Pietas, qvam subseqva secula dicent.



Wer sind die Leute doch/ die wollen dafür halten/
Daß wir bey weiten nicht zugleichen sind den Alten/
Was Witz vnd Kunst belangt? Der Mensch/ das kluge Thier/
Sinnt alles tieffer aus/ vnd dencket für vnd für/
Wie er vollkommen mach' was vorhin war versteckt.
Nein/ welche Kunst ist nicht anietzo gantz entdecket?
Der vor war vnbekand/ der nützliche Magnet/
Zeigt/ wo das schwache Schiff auch bey der Nacht hingeht/
Vmbringt mit Wind vnd Fluth. Wir können ietzt die Sternen/
Als stünden wir darbey/ erkennen hier von fernen
Durch eines Glases Liecht. Mars sieht viel grösser aus/
Seit Galileus hat das blawe Wolcken-Haus
Was näher angeschawt. So auch in andern Dingen.
Wir können mit der Glut aus iedem Kraut erzwingen
Die Krafft vnd Seele selbst. Was Lullius versteckt/
Vnd Crollius verbirgt/ ist gründlich vns entdeckt.
Was ist der Druckerey doch irgend vorzuziehen/
Der edlen Druckerey/ dadurch die Künste blühen/
Der Mutter aller Kunst? wie hoch sie ietzt gebracht/
Hat Faust zu seiner Zeit/ vnd Küster/ nicht gedacht.
Wo bleibt die Krieges-Kunst? Wo laß ich das Geschütze?
Der grosse Jupiter fährt kaum mit solchem Blitze
Im Wolcken hin vnd her: die Berge zittern auch/
Die Wolcken werden schwartz von vnsers Pulvers Rauch.

Wo bleibt der Sprachen Kunst/die vns die danckeln Sachen/
Die manchen in der Schrifft der Weisen irre machen/
Eröffnen aus dem Grund? Was vor der Zeit geehrt
Wurd' hoch/ kan werden jtzt der Jugend bald gelehrt.
Es darff anjtzt nicht mehr die Zunfft der Hochgelahrten/
Wie etwa vor der Zeit/ auff Schrifft vnd Bücher warten.
Nunmehr ist alles klar. Ja/ was sag ich von der/
Durch welcher Liebligkeit der Vnmuth vnd Beschwer
Des Hertzens weichen muß/ die aller Menschen Sinnen/
Im Fall sie Menschen seyn/ kan wie sie wil gewinnen/
Der Edlen Musica? Schaw derer Nutz vnd Pracht/
Dadurch sich vnser Rath itzt ewig hat gemacht.
Der Rath/ der weise Rath/ der kostbarlich erbawet
Ein newes Orgel-Werck/ dergleichen kaum geschawet
Ist worden irgends wo. Erkenne GOttes Gunst/
Mensch/ wilt du danckbar seyn. Komm' her/ vnd schawe (Künst!
Komm her/vnd preise mir die weisen Rathes-Väter/
Komm' her/ vnd rühme mir der Kirch- vnd Schul-Wohlthäter.
Der Mensch der ist nicht werth/ daß jhm wird wohlgethan/
Wenn er die Wohlthat nicht nimbt danckbar auff vnd an.
Schaw was für Witz vnd Fleiß Herr Weller dran gestrecket/
Der hochkunstreiche Mann. Was vorhin war verstecket/
Was Bruder * Bernhardus für ein Geheimnüs hält/
Das hat er an das Liecht der Sonnen nun gestellt.
Wir zahlen beyder Dienst mit keinem Gold vnd Schätzen/
Wir müssen Bürgen hier für vns die Götter setzen.
Es ehre/ wer da wil/ die Hoheit/ Würd' vnd Pracht/
Der ewigen Stadt Rom/ er lobe jhre Macht.
O Rom ist viel zuschlecht. Ich rühme mehr die Gaben/

* Bernhardus mit dem Zunahmen Teutscher ist der Erste gewesen / der die Orgel verbessert vnd vermehret/

Hier hast du grosse Leut' / (von andern nichts zusagen)
Die alle Wissenschafft/vnd grawe Weißheit tragen.
Schaw nur die Mildigkeit/ schaw vnsern weisen Rath:
Schaw/ wie zum GOttesdienst er nichts gesparet hat.
Ein Mensch kan besser nicht dem Himmel ehnlich werden/
Als wenn er GOTte dient: Diß macht allein auff Erden
Ein vnvergänglich Lob. Der Kunst vnd Tugend ehrt
Bleibt/wenn Geld/ Hoffart/ Pracht/ zusammen wird ge-
Mit Besem/ewig stehn. Vnd wer die Ehre liebet/ (kehrt
Der giebt jhr/ was sie darff/ vnd darff auch was sie giebet.
Nichts steht/ was fallen kan. Was Erde Mutter heist/
Hengt an dem Vntergang/ fleugt hin/ verschleist/ zerreist.
Wer GOTT dient/ stirbet nicht. Kehrt hieher ewre Sinnen/
Vnd preiset dieses Werck/ jhr zarten Castalinnen.
So weit ich etwa mich mit Kräfften mag vergehn/
(Was nicht zuschaffen ist/ muß einer lassen stehn)
Wil ich seyn stets bedacht/ (denn gäntzlich stille schweigen
Lieff wieder meine Pflicht/) mich also zuerzeigen/
Daß ieder sehen mög' was Dreßden ist vnd kan/
Wie sie sich Kirch vnd Schul so trewlich nimmet an.
Ich weiß schon wer alsdenn sol stehen an der Spitzen/
Der vnser Musen hegt sol stetig oben sitzen/
Berühmt seyn ewiglich. Er lebet oder stirbt/
So bleibet doch der Ruhm/den seine Sorg' erwirbt
Für vnser Schule jhm. Fama steigt schon zu Wagen
Die hochberühmte Müh' der gantzen Welt zusagen.
Vnd weil denn wiederumb anietzt zu Rathe geht/
Durch dessen Sorge hier die newe Orgel steht/
Herr Wernern meyne ich/ dem wiederumb vertrawet
Der grosse Sachs die Stadt/ der hochrühm-weißlich schawet/
Wen er in Aemptern braucht/ so wündsche ich hierzu
Von Hertzen jhm Gelück/ dem Lande Fried' vnd Ruh!

GOTT

TT segne vnser Stadt/GOtt gebe Fried' im Lande/
ird es stehen wohl im Welt- Kirch- Schul- Hauß-Stande.
Mein Wuntsch ist kurtz/doch gut. Wer hier sucht Wörter-Zier/
Schein/Kunst/ vnd Aussenwerck/ der findet das nicht hier.
Sinn steht an der Stirn. Wer sich falsch weiß zustellen/
Nechsten vntergräbt/ein Bein stellt/ jhn zufällen/
Verheist im Munde mehr/als er im Hertzen meynt/
Wer solches Klugheit nennt/ist aller Tugend feind/
ller Redligkeit. Ich habe nichts gelernet/
ohl von aussen steht/ vnd nur alleine fernet.
Die Jungfern schmincken sich/ die arm an Schönheit seyn.
Je besser ist der Krantz/ ie schlimmer ist der Wein.
llieffe. Weiser Rath/ GOtt wolle all' Beschwerden
uch weit reissen weg; es besser lassen werden/
lls bißher ist gewest; verleyhen bessern Stand.
Der freche Mord-Gott Mars hat von Grund vmbgewand
and vnd was darinn. Es hat der harte Himmel
ünden auffgereitzt ein blutiges Getümmel.
luff vnser Vaterland gantz grimmiglich erregt/
Das Sechs vnd Zwantzig Jahr auff eine Stelle schlägt/
ch nicht höret auff. GOTT/der den Himmel zwinget/
T der/vnd keiner sonst/den Frieden wiederbringet/
Der geb' vns endlich Ruh'/laß vnsern Rauten-Krantz
Auffwachsen mehr vnd mehr. GOtt Dir ergiebt sich gantz
ne Vaterland. Laß gute Künste blühen/
ier Kirch vnd Schul gelährte Leut' erziehen.
ieb Frieden/daß sich nur begegnen Güt' vnd Trew/
Auff daß Gerechtigkeit an allen Enden sey.
edens-Vater Du/gieb Fried' zu vnsern Zeiten/

Genug. O weiser Rath/ bleibt/ wie ihr seid gewesen
Fort so gewogen mir. Was alhier wird gelesen/
Wie schlecht es immer ist/ wird künfftig doch allein
124. Bezeugen meine Trew/ wenn alles Staub wird seyn.

CICERO AD PLANCUM.

Ex omnibus rebus humanis nihil qvicqvam præclarius est aut præstantius, qvàm DE REPUBLICA BENE MERERI.

FINIS.

